

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XVII - N. 2

1985

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRE 1985

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Ex allocutione Summi Pontificis Patrum Cardinalium Collegii Plenaria exeunte	151
Dall'Omelia del Santo Padre alla Santa Messa a conclusione dell'Assemblea Straordinaria del Sinodo dei Vescovi	153
Discorso del Santo Padre alla Curia Romana in occasione degli Auguri natalizi	155

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Decretum quo, determinatis condicionibus servatis, christifidelibus conceditur ut indulgentiam plenariam Benedictioni papali adnexam percipere valeant, etiam ope instrumenti televisifici vel radiophonici	163
---	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus Studiorum « De Laicis » (Sessio I)	164
II. Coetus Studiorum « De Laicis » (Sessio II)	197
III. Coetus Studiorum « De Religiosis » (Sessio IV)	240

ACTA COMMISSIONIS

Responsa ad proposita dubia	262
---------------------------------------	-----

DOCUMENTA

I. Momentum Codicis Iuris Canonici ad applicationem Concilii Vaticani II quod attinet	263
II. Some Reflections on the proper way to approach the Code of Canon Law	267
III. The juridical Status of the Laity: The Contribution of the Conciliar Documents and the 1983 Code of Canon Law	287

NOTITIAE	316
--------------------	-----

Index rerum generalis Voluminis XVI (1984)	317
--	-----

Index rerum generalis Voluminis XVII (1985)	319
---	-----

III

COETUS STUDIORUM
« DE RELIGIOSIS »

Sessio IV

(diebus 22-26 m. aprilis an. 1968)

Diebus 22-26 aprilis 1968 habita est, in Aula huius Pontificiae Commissionis quarta Sessio Coetus a studiis « De Religiosis ».

Adfuerunt decem Consultores designati ut membra Coetus studiorum, inter quos Rev.mus P. Raimundus Bidagor S.J., Secretarius Commissionis, qui Praesidis munere functus est.

Munere Relatoris functus P. Said et munere Actuarii functus est Rev.mus Voto a studiis Commissionis.

Quaestiones a Secretaria propositae erant sequentes:

- 1) De institutis dioecesanis;
- 2) De regimine: quomodo intelligenda sit notio exemptionis (cfr. cann. 615-620).

Conventus 1°


(Die 22 apr. 1968 - Mane)

Rev.mus Secretarius Commissionis salutem dicit Consultoribus et rogit Relatorem ut proponat quaestiones in hac quarta Sessione tractandas.

Relator censet antea examinandam esse notionem exemptionis.

Instituta religiosa, dicit Relator, sunt associationes in Ecclesia et de Ecclesia. Quae opportunum videtur ut relationes examinentur quae inter religiosum Institutum eiusque membra et Ecclesiae auctoritates intercedere debent, salvis praescriptis, quae regimen internum institutorum respiciunt.

Si tales relationes prae oculis habeantur, in iure vigenti distingueda sunt Instituta exempta, Instituta iuris pontificii, Instituta iuris dioecesani.



Ad recognitionem vero talium relationum accedentes, perpendenda sunt principia a Patribus Concilii Oecumenici Vaticani II statuta.

Primum principium quod attente considerari debet est quod in operibus apostolatus exemptio vix ullam differentiam relinquit inter religiosos exemptos et non exemptos. Hoc manifestum est ex longa enumeratione a Patribus Concilii facta eorum in quibus omnes religiosi Ordinario subsunt: « Omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinariorum locorum potestati subsunt in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, salva quidem Rituum diversitate, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catecheticalm institutionem et liturgicam efformationem atque ad status clericalis decorem spectant necnon ad varia opera in iis quae apostolatus exercitium respiciunt. Religiosorum quoque scholae catholicae Ordinariis locorum subsunt ad earum generalem ordinationem et vigiliam quod attinet, firmo tamen iure Religiosorum quoad earumdem moderamen. Pariter Religiosi tenentur servare ea omnia quae Episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint » (Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 4). Videantur etiam quae statuantur in eodem Decreto ad n. 34 quoad religiosos sacerdotes et ad n. 35, 1. Verum quidem est omnia praedicta ita intellegi debere ut finis specificus cuiusque instituti, media peculiaria et disciplina religiosa sarta et tecta semper sint (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 2) et verum est quoque non pauca ex operibus a Patribus Concilii enumeratis iam in iure vigenti sub potestate Ordinarii loci poni (cfr. WERNZ-VIDAL, Tom. III, n. 404), sed negari non potest auctoritatem Ordinarii loci non parum auctam esse.

Alterum principium in Decreto *Christus Dominus* statutum quod exemptionem religiosorum tangit quodque illam modificat est quod deinceps exemptio potissimum respiciet ordinem internum institutorum « quo melius in iisdem omnia inter se apta et connexa atque incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur » (Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 3). In Codice vigenti exemptio pro regularibus, quibus aequi-parari debent instituta votorum simplicium quae privilegium exemptionis a Sede Apostolica adepta sunt, principio potius opposito regebatur. Statuit nempe can. 615: « Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum dominibus et ecclesiis, exceptis iis monialibus, quae Superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis ». Praesumptio scilicet stat pro exemptione et Ordinarius loci qui prae-

tendit subiectionem religiosi exempti in aliquo campo debet illam probare. Sed per principium a Patribus Concilii statutum praesumptio in favorem exemptionis religiosorum videtur coartari ad ea quae ordinem internum institutorum respiciunt, non vero ad alia quae directe sub potestate Ordinarii loci ponuntur. Hoc demonstratum appareat ex Decreto *Christus Dominus*, n. 8, a) collato cum n. 35, 4) eiusdem Decreti.

Ex duobus principiis a Concilio statutis sequitur quod differentia inter religiosos exemptos et religiosos iuris pontificii quasi totaliter evanescit, praesertim si ad institutum clericale pertineant (cfr. can. 618 § 2).

Aliae considerationes existant, dicit Relator, quae suadent ad aequiparandos religiosos exemptos et religiosos iuris pontificii ad exemptionem quod attinet.

Imprimis, dicit Relator (Rev.mum P. Rousseau sequens) exemptione in novo iure considerari non potest tamquam privilegium quia, iuxta Constitutionem « Lumen gentium », exemptione non datur Institutis religiosis eorumque sodalibus atque domibus in bonum ipsorum religiosorum, sed pro necessitatibus totius gregis dominici. Proinde non appareat ratio cur exemptione concedi non possit omnibus Institutis religiosis iuris pontificii et quidem ab ipso iure, sicut nunc conceditur regularibus.

Praeterea, dicit Relator, exigentiae vitae religiosae in institutis religiosis quae notabilem exhibent maturitatem et diffusionem sat extensem adepta sunt, diminuta diversitas inter Instituta exempta et Instituta iuris pontificii, mutatae circumstantiae a tempore promulgationis Codicis vigentis, clara subiectio religiosorum Ordinarii locorum in operibus quae munus pastorale respiciunt, necessitas conservandi indolem propriam et spiritum Fundatorum in institutis religiosis, sunt totidem causae quae suadent extensionem immunitatis a iurisdictione Ordinariorum locorum ad omnia Instituta iuris pontificii, quae sufficientem evolutionem et maturitatem exhibit. Ex hac extensione non habetur deminutio potestatis Episcoporum, quae ipsis impedimentum affert in munere pastorali explendo, quia, ut dicit Concilium, exemptione ordinem internum religiosorum respicit.

Ad Instituta iuris dioecesani quod attinet, Relator post recensitas lacunas vigentis iuris circa ipsa, dicit iam tempus esse ut positio iuridica illorum Institutorum melius examinetur et ut normae magis congruentes eorum naturae statuantur.

Relator dicit nunc temporis tendentiam adesse ut Instituta religiosa iuris dioecesani, quamquam evoluta sint et in plures dioeceses diffusa, stabiliora permaneant in statu iuris dioecesani, quin quaerant statum iuridicum iuris pontificii. Qua de causa urgentiores apparent normae quae iura et obligationes eorundem Institutorum erga Ordinarios loci definiant, ne ex iuris indeterminatione detrimentum sequatur sive pro vita religiosa institutorum, sive pro operibus apostolatus dioecesis.

Necesse est ut in tuto ponatur interna authonomia horum institutorum, quae minime adversatur iuribus Ordinario loci legitime spectantibus. Hoc requirit ipsa natura institutorum. Ut ex ipsis praescriptis Codicis, licet incompletis, satis patet, instituta iuris dioecesani Ordinario loci subiiciuntur ut ipse suam paternam tutelam et vigilantiam in eis exercere possit atque ut eorum intensam vitam religiosam et incrementum foveat et promoveat. Ista instituta generatim non habent adhuc tantum vigorem ut vitam suam absque quadam protectione et vigilantiaducere possint. Ex quo sequitur quod illegitimae ingerentiae in illorum vitam et organizationem internam magis nocivae esse possunt. Activitas Ordinarii loci coarctari debet ad incitamenta pro vita religiosa magis perfecte ducenda et ad vigilantiam ut abusus in istis institutis non introducantur. De cetero melius est ut institutum sese evolvat iuxta propriam indolem et spiritum. Quod attinet ad constitutiones, mutationes inducendae sunt non ab extra sed ab exigenziis eiusdem instituti. Decet utique ut fiant de consensu Ordinarii loci sed vix umquam fieri debent praeter vel contra voluntatem instituti ipsius a legitimis Superioribus internis expressam. Visitatio domorum quae in suo territorio inveniuntur abs dubio ab Ordinario loci facienda est, sed praecepta forsitan imponenda melius et aptius fiunt post consultationem cum superioribus eorundem domorum vel, si casus ferat, cum Supremo Moderatore instituti. Tam ex parte Ordinarii quam ex parte religiosorum omnibus viris nitendum est ut concordia et caritas servetur. Ordinarius loci demonstret suam sollicitudinem pro bono religiosorum et isti obsequentes et parati semper sint ad activam et actuosa cum eo cooperationem tam in opere apostolatus quam in iis quae vitam eorum religiosam respiciunt.

Ad ordinem discussionis quod attinet, Relator proponit ut examinetur quaestio exemptionis quae respicit regimen religiosorum in suis relationibus cum hierarchia. Postea quaestio erit de Institutis iuris dioecesani.

Est etiam unus e consultoribus qui petit ut prima quaestio fiat de exemptione. Ipse censet quod sistema exemptionis in novo Codice habere debet suum veluti centrum in maiori vel minori gradu subiectionis religiosorum erga Episcopos. Ideo proponit ut triplex gradus subiectionis statuatur:

1) *Primus gradus subiectionis – Subiectio plena: pro institutis iuris dioecesani*, quae etiam ad mutandas Constitutiones extenditur. Specificari clare deberet in quo consistat haec subiectio: tantum vi potestatis iurisdictionis an etiam vi potestatis dominativa? Forte cum aliqua commendatione ne Episcopi nimis se ingerant in gubernio interno Institutorum.

2) *Secundus gradus subiectionis – Subiectio media: pro institutis iuris pontificii laicalibus*. Subiectio tum interna (iurisdiction) tum externa (opera Instituto propria, secundum finem et constitutiones, quas Episcopus mutare non potest et ad quas se accommodare debet in praecipiendo). Quid non possit cf. can. 618 § 2.

3) *Tertius gradus subiectionis – Subiectio minor (vel minima): pro Institutis clericalibus* (et alii quibus id donatum esset, v.g. ordines laicales virorum), seu *exemptis*. Subiectio tantum quoad activitatem externam, et quidem secundum finem et constitutiones; exemptio fere tantum quoad ordinem internum Instituti.

Alter Consultor concordat cum Relatore ut discussio fiat primo de exemptione.

Alii quattuor Consultores vero petunt ut discussio de exemptione differatur et sermo fiat cito de institutis dioecesanis. Exemptio enim non pertinet ad constitutiva intrinseca vitae religiosorum, sed datur a Summo Pontifice in bonum Ecclesiae. Ideoque praestat ut antea normae statuantur de regimine Institutorum dioecesanorum et iuris pontificii; postea vero sermo erit de exemptione quam Summus Pontifex dare potest quibus vult, in bonum Ecclesiae.

Rev.mus Secretarius Commissionis notat actualem ordinem sententiarum auctorum circa regimen religiosorum communiter initium sumere a can. 500 C.I.C. per quem distinguuntur religiosi exempti a religiosis non exemptis. In Codice enim vigenti exemptio intrat ipsum sistema iuridicum religiosorum. Nunc vero, dicit Bidagor, ex prolatis sententiis Consultorum iam patet aliquos Consultores velle servare talem ordinem idearum, alios vero ad alium ordinem accedere velle id est ut exemptio extra sistema iuridicum religiosorum ponatur ut aliquid exclusive pertinens ad liberam voluntatem Summi Pontificis.

Conventus 2^o
(Die 23 apr. 1968 – Mane)

Relator meminit suam sententiam heri prolatam quae adhaerebat structurae Codicis vigintis circa exemptionem religiosorum a iurisdictione Episcopi. Eundem ordinem idearum Codicis tenens, Relator tamen proponebat ut exemptio extenderetur omnibus Institutis iuris pontificii, ita ut exinde due species religiosorum haberentur in Ecclesia: Instituta iuris dioecesani et Instituta iuris pontificii.

Nunc, vero, Relator, post discussionem heri factam, et ipse accedit sententiae de relinquenda exemptione extra sistema iuridicum regiminis religiosorum, quapropter proponit ut cito examinentur quaestiones circa regimen religiosorum tam iuris pontificii quam iuris dioecesani, quaestione de exemptione postposita, de qua, tamen, suo tempore agendum erit ad decernendum quid exemptio importet cum Summus Pontifex ipsam alicui Instituto tribuerit.

Alii Consultores concordant cum Relatore, sed aliqui votum faciunt ut, quando quaestio de exemptione tractanda erit, Commissio mixta constituatur, in qua aliqui Episcopi adnumerentur.

Relator quaerit an inscriptione tituli debeat esse « De religionum regimine ».

Consultores communiter censem inscriptionem tituli determinandam esse a posteriori, postquam scilicet tota materia recognita fuerit.

Deinde incipit examen canonum, quos Relator in sua relatione proposuit.

« Can. 1: Religiosi omnes, tamquam supremo Superiori, subduntur Romano Pontifici, cui obedire tenentur etiam vi voti oboedientiae ».

Exsurgit Consultor proponens ut hic canon supprimatur et sequentes rationes affert:

a) In fontibus CIC nulla datur iustificatio ex legislatione anteriore.

Agitur, vero, uti videtur, de sententia quae ab omnibus canonistis tenetur. Attamen:

b) Commentatores non consentiunt in explanatione iustificatione neque huius sententiae. BESTE et WERNZ-VIDAL remittunt ad Suarezium. VERMEERSCH-CREUSEN (cf. auctoris « De religiosis institutis et personis », I, n. 388) dissentit ab explanatione Suarezio ex quo non in potestate dominativa sed in ipsa universalis iurisdictione fundatum huius canonis perspicit.

c) SUAREZIUS videtur esse fons huius canonis (vol. XV Paris, 1859, Lib. X, cap. XI, praesertim inde a paragr. 9 et sqq. pp. 926 sqq.). Atqui Suarezius distinguit inter oboedientiam qua tenentur religiosi ex universalis iurisdictione Pontificis Romani, de qua omnes concordant et *concordare debent* (mea quidem sententia); et oboedientiam qua tenentur etiam « vi voti oboedientiae » ex potestate dominativa Pontificis.

Iamvero est Consultor qui negat vel saltem dubitat quod Romanus Pontifex habeat potestatem dominativam in omnes religiosos. Imo, dicit ipse, ex ipsa natura voti oboedientiae potestas dominativa videatur excludi. Teste enim Suarezio auctores « nullum afferunt huius rei fundamentum ». Suarezius vero fundamentum invenit in intentione religiosorum voventium (erga omnes praelatos); ex ipsa voluntate Romani Pontificis; ex ratione convenientiae. Iamvero fundamentum possum a Suarezio, dicit Consultor qui supra, non potest admitti quia:

a) in intentione religiosi voventis nihil amplius est quam id quod ipse vult vovere; iamvero, saltem pro monachis, numquam sermo est de intentione vovendi oboedientiam Romano Pontifici;

b) de intentione Romani Pontificis non constat et non potest Romanus Pontifex *ad votum obligare*;

c) ratio convenientiae nititur supposito non ab omnibus admissa. Explicat enim Suarezius: « cum tota potestas Praelatorum pendeat a Summo Pontifice, non esset conveniens ordo, ut religiosi magis obligarentur ex voto ad oboediendum aliis praelatis quam Summo Pontifici ». At, distinguenda est, dicit Consultor, oboedientia quae oritur ex ipsa iurisdictione hierarchiae divinae ab oboedientia quae vovetur ex iurisdictione charistica in religionibus. De iurisdictione omnium hierarcharum ex institutione divina, atque de oboedientia debita omnium christianorum erga eam, nemo est qui dubitat. De iurisdictione charistica superiorum religiosorum res non est tam clara ut et ipsa referenda sit ad iurisdictionem ex institutione divina. Nam hierarchae ex institutione divina non sunt religiosi. Si vota solvere possunt ex potestate clavium, id non probat eos habere potestatem dominativam ex ipso voto oboedientiae (ut concedit Suarezius; e contra Vermeersch).

Alter Consultor, ex facto quod aliqua Instituta habent 4. um votum oboediendi Summo Pontifici, arguit quod ex se, vi status religiosi qualis, non oritur obligatio oboediendi Summo Pontifici vi voti oboedientiae.

Sed est et tertius Consultor qui respondit Exc.mo Consultori qui supra, quod religiosi oboedire debent ad normam Constitutionum; sed per 4. um votum Summus Pontifex praecipere potest etiam praeter Constitutiones.

Relator refert sententiam S. Thomae, qui claris verbis tribuit Summo Pontifici potestatem dominativam in omnes religiosos qui « obligantur ... ad oboediendum Summo Pontifici, non solum in his quae sunt communia aliis, sed etiam in his quae specialiter pertinent ad disciplinam religionis » (II-II, q. 186, a. 5, ad 3).

Sunt duo Consultores qui concordant cum Relatore quia, dicunt, secus magis posset in religiosos Superior religiosus quam Summus Pontifex.

Quidam vero Consultor notat quod etiam collegium Episcopale (cum Summo Pontifice) habet potestatem in universam Ecclesiam. Meminit praeterea apud Orientales aliquos religiosos extare qui subsunt Patriarchae.

His de causis, idem Consultor concludit, vel canon propositus a Relatore supprimatur, vel dicatur « Supremae auctoritati in Ecclesia », loco « Romano Pontifici ».

Rev.mus Secretarius Commissionis putat religiosos vi voti habere ligamen oboedientiae cum Romano Pontifice, non vero cum Collegio Episcopali. Sicuti religiosi ligantur Superiori, non autem Capitulo, ita ligantur Summo Pontifici, non vero Collegio Episcopali.

Alter Consultor meminit doctrinami Concilii Vat. II in qua vita religiosa habetur ut res ecclesialis, quapropter concordat cum socio Consultore ut dicatur « Supremae auctoritati in Ecclesia », loco « Romano Pontifici ».

Est denique qui asserit potestatem singulis Ordinariis competenter non afficere directe ipsa Instituta religiosa qua talia. Quapropter hanc formulam proponit:

« Omnia instituta religiosa eorumque sodales Supremae Auctoritati in Ecclesia etiam quoad regimen internum subduntur ».

Duo Consultores assentient propositioni de qua supra, tamen pertinent ut duae paragraphi redigantur his verbis:

« § 1. Omnia Instituta Religiosa Supremae Auctoritati in Ecclesia etiam quoad regimen internum subduntur.

§ 2. Eidem auctoritati singuli religiosi, etiam voto oboedientiae in professione emittendo, subduntur ».

Conventus 3º

(Die 23 apr. 68 – Vespere)

Redit quaestio de fundamento potestatis dominativae Summi Pontificis in Religiosos.

Sunt quattuor Consultores qui dicunt fundamentum esse ipsum votum oboedientiae.

Duo vero Consultores negant tale fundamentum quia oboedientia quae vovetur ex iurisdictione charismatica non parit ligamen iuridicum cum Hierarchia, ita ut speciale titulum habeatur ad praecipiendum Religiosis. Fundamentum potius, dicunt ipsi, ponendum est in ipsa relatione charismatica, qua religiosi ordinantur ad bonum Ecclesiae.

Habetur longa discussio inter Consultores, in qua singuli afferunt argumenta ex traditione, ex praxi Ecclesiae, ex Concilio Vaticano Secundo ad propriam thesim probandam.

Tandem exsurgit quidam Consultor qui colligit verba ex Decreto Christus Dominus, n. 33, et hanc formulam proponit: « Cum instituta religiosa constituantur in Ecclesia ad laborandum in aedificationem et incrementum totius mystici Corporis Christi, Supremae Auctoritati peculiari modo oboedire tenentur ».

Alter Consultor dicit primum verbum *cum* non placere, quia, ad mentem Decreti « Christus Dominus », religiosi aedificant Corpus Christi mysticum non solum ope oboedientiae, sed etiam operationis, cultus divini, apostolatus, etc.

Tertius Consultor autem dicit rationem formalem ob quam Religiosi peculiari modo ligantur Ecclesiae non esse ipsorum laborem in Ecclesia sed propriam sanctificationem; quapropter formula proposita ipsi non placet et hanc formulam proponit: « Instituta religiosa, utpote ad incrementum sanctitatis totius mystici Corporis Christi constituta, Supremae Auctoritati, etc. ».

Est Consultor qui notat quod ratio peculiaris subiectionis Religiosorum Ecclesiae non potest esse ratio aliqua generalis omnibus fidelibus communis, nam omnes fideles vocantur ad sanctitatem.

Tunc Consultor qui iam de ratione formale egit, dicit Religiosos pressius vocatos esse ad aedificationem Corporis Christi et formulam his verbis redigit: « Instituta religiosa, utpote constituta ad aedificationem et incrementum pressius suo modo fovenda totius mystici Corporis Christi, Supremae in Ecclesia Auctoritati peculiari modo sub-

duntur; singuli autem religiosi eidem Auctoritati vi professionis oboe-dire tenentur ».

Suffragatur an placeat *quoad substantiam* haec novissima formula.
Omnibus placet.

Conventus 4°

(Die 24 apr. 68 – Mane)

Consultores prosequuntur discussionem de formula ab omnibus suf-fragata, circa quam varios modos proponunt:

1) Exc.mus quidam Consultor proponit ut dicatur: « ... utpote constituta *in Ecclesia* ad aedificationem, etc. ... ».

Ratio est quia vita religiosa non est tantum charisma sed etiam « institutio » in Ecclesia.

Placet n. 5 – Non placet n. 3.

2) Alter ill.mus Consultor proponit: « ... totius mystici Corporis Christi *et in bonum ecclesiarum particularium*, Supremae Auctoritati etc. ... ».

Placet n. 4.

Non placet n. 4.

3) Tertius Consultor proponit: « Institutia religiosa, *utpote ad Dei Ecclesiaeque servitium speciali titulo dicata*, Supremae auctoritati, etc. ... ».

Placet n. 4.

Non placet n. 4.

4) Quartus Consultor proponit ut motivatio (utpote constituta ad, etc ...) sane supprimatur:

Placet n. 1 – Non placet n. 7.

5) Quintus Consultor proponit: « ... utpote constituta in Ecclesia ad Dei ipsiusque Ecclesiae servitium in aedificationem mystici Corporis Christi, etc. ... ».

Placet n. 1 – Non placet n. 7.

6) Sextus Consultor proponit: « ... Supremae Auctoritati peculia-ri *ratione* subduntur » (loco peculiari modo).

Placet n. 5 – Non placet n. 3.

7) Iterum Tertius Consultor proponit: « ... Supremae *Ecclesiae* Auctoritati peculiari ratione, etc. ... ».

Placet n. 4.

Non placet n. 4.

8) Septimus Consultor proponit: « ... singuli autem religiosi eidem Auctoritati *etiam vi voti oboedientiae* parere tenentur ».

Placet n. 6.

Non placet n. 2.

9) Est Consultor qui proponit ut canon in duas §§ dispertiatur:

Placet n. 6 – Non placet n. 2.

Deinde idem Consultor proponit ut canon redigatur de subiectione Religiosorum S. Congregationi Religiosorum, sed alii Consultores unanimiter dicunt talem canonem non esse necessarium quia Sacra Congregatio est organum Summi Pontificis et quia in Cap. de Curia Romana sermo erit de competentia S. Congregationis Religiosorum circa Religiosos.

Conventus 5°

(Die 24 apr. 68 – Vespere)

Relator proponit can. 2 et can. 3 his verbis:

Can. 2: « Pariter religiosi omnes tenentur servare ea omnia quae Episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint ».

Can. 3: « Ordinarii loci potestati universi religiosi subsunt in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, salva quidem Rituum diversitate, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et morallem educationem, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem atque ad status clericalis decorem spectant necnon ad varia opera in iis, quae sacri apostolatus exercitium spectant ».

Duo Consultores animadvertisunt tales canones non apte componi posse cum indole regiminis interni religiosorum, de quo nunc sermo est. Proponunt ut unus tantum canon generalis redigatur quo edicatur religiosos subiici Conciliis, Episcopis, Conferentiis Episcoporum ad normam iuris.

Quidam Consultor obicit eamdem difficultatem quoad canonem 1 (hoc mane probatum), cui unus de duobus Consultoribus qui supra respondet negando paritatem, quia Summus Pontifex est etiam Superior internus religiosorum, dum Episcopi sunt Superiores externi tantum.

Alii Consultores concordant, ideoque Relator hanc formulam proponit, quae omnibus placet: « Religiosi auctoritati etiam Episcoporum eorumque Conciliorum atque Conferentiarum ad normam iuris subduntur ».

Deinde Relator quaerit utrum agendum sit antea de Institutis iuris dioecesani vel de Institutis iuris pontificii.

Post aliquam discussionem Consultores concordant ut antea sermo sit de Institutis iuris dioecesani.

Relator hunc canonem proponit:

Canon 3: Salva interna instituti disciplina salvoque legitimo iure superiorum in iis quae vitam religiosam spectant, religiosi qui ad Institutum religiosum iuris dioecesani pertinent Ordinario loci oboedire tenentur tanquam proprio Superiori externo ».

Est Consultor qui autumat aliquam specialem auctoritatem conferendam esse Ordinario domus principis Institutorum dioecesanorum, ad consulendum unitati regiminis ipsorum Institutorum.

Sed Secretarius recolit votum Consultorum, in praecedenti sessione prolatum, ut Ordinarii instituta dioecesana ne erigant sine licentia Conferentiae Episcopalis. Iamvero, per talem instantiam ad Conferentiam Episcopalem, iam ponitur actum quo novum Institutum commendatur aliquo modo omnibus Episcopis Conferentiae.

Conventus 6°

(Die 25 apr. 68 – Mane)

Consultores prosequuntur discussionem circa canonem 3 propositum a Relatore.

Exc.mus quidam Consultor censet Episcopos esse superiores internos Institutorum iuris dioecesani.

Alter vero animadvertisit finem constitutivum Instituti iuris dioecesani esse bonum dioecesis. Iamvero si Institutum ad alias dioeceses propagatum sit, oportet invenire modum quo aliae dioeceses suum bonum libere consequi possint, quod fieri nequit si Episcopus dioecesis

« a qua » auctoritatem habeat circa regimen Instituti. Secus Instituta dioecesana virtute et capacitate universalia consideranda sunt, ita ut proprio veluti pondere ad transformationem ferantur qua iuris pontificii evadant.

Ad occurrentum difficultatibus factis a priore Consultore, duae proponuntur solutiones, quarum una a Relatore, altera ab alio Consultore.

a) Consultor exoptat duas species Institutorum dioecesano-rum; Instituta nempe quae, arrepta maturitate, fiant Pontificia et Instituta quae sint constitutive dioecesana quaeque numquam fiant Pon-tificia. Talia Instituta constitutive dioecesana relationes magis directas cum Ordinario habebunt; eorum domus, saltem quae in aliis dioece-sibus sitae sint, erunt sui iuris, salva quadam unitate in aliquibus cum coeteris domibus.

b) Relator vero dicit solutionem praesto ac securam esse si iura et onera clare determinentur. In concreto statui debet principium au-tonomiae internae Institutorum et praeterea clare determinari debent iura Ordinariorum quoad vitam internam et activitatem externam In-stitutorum.

Secretarius, propositionem Relatoris probans, proponit ut can. 3 agat de autonomia interna, quae Institutis dioecesanis competit.

Alii Consultores concordant cum Secretario.

Conventus 7°

(Die 25 apr. 68 – Vespere)

Sequentes formulae praebentur de autonomia interna Institutorum:

— « Cuncta religiosa Instituta, iuris dioecesani sint vel iuris pon-tificii, autonomia interna gaudent, quae vitam religiosam sodalium, di-sciplinam internam et incrementum eiusdem instituti in tuto ponat »;

— « Instituta religiosa ea autonomia interna gaudent quae eorun-dem naturae, spiritui et fini congruit »;

— « Subiectio institutorum religiosorum Sacrae Hierarchiae (Auc-toritati Supremae in Ecclesia et Episcopis) non excludit tum legitimam au-tonomiam in vita interna eorundem institutorum, tum ordinariam gubernationem, a capitulis et superioribus, ad normam iuris et consti-tutionum, exercendam ».

Quidam Consultor, tamen, exoptat ut materia evolvatur secundum hunc ordinem idearum:

Cum in can. 2 dictum sit religiosos auctoritati etiam Episcoporum subesse ad normam iuris, in sequentibus canonibus (3, 4, 5 ...) dicatur quid possint Episcopi circa Instituta tum pontificia tum dioecesana et in fine ponatur canon qui dicat: salvis cann. 3, 4, 5 ..., religiosa instituta autonomia interna gaudent.

Quattuor Consultores concordant circa ordinem procedendi, sed est qui vellet firmare primo loco principium autonomiae.

Praevalet tamen sententia circa ordinem propositum, de qua consideratur effectus quoque psychologicus erga Episcopos. Episcopis enim praebetur antea index iurium ipsorum in religiosos et postea firmatur principium autonomiae.

Quaestio autem fit an negative (quid non possint), vel positive (quid vero possint) index redigi debeat.

Secretarius censet arduum esse viam positivam sequi, alii tamen Consultores dicunt positive statuenda esse iura Episcoporum, quia secus limites autonomiae semper incerti erunt.

Relator meminit se, in sua relatione, aliquem indicem confecisse, id est:

Ordinario loci licet:

- 1) Constitutiones (aliosque codices additios) instituti iuris dioecesani approbare.
- 2) Immutationes in Constitutionibus eiusdem Instituti a Capitulo Generali propositas approbare, salvis iis in quibus Apostolica Sedes manus iam apposuerat.
- 3) Visitationem instituere in domibus Instituti quae in suo territorio sitae sunt et in sodalibus ibidem assignatis, quod attinet ad observantiam regulae et Constitutionum, atque ad apostolicam sodalium operam.
- 4) Praecepta sodalibus eiusdem Instituti imponere in suo territorio assignatis quae regulae et Constitutionibus non adversantur, auditis propriis Superioribus.
- 5) Servata religiosa disciplina et subiectione erga proprios Superiores, sodales in proprio territorio assignatos in externum apostolatum immittere qui cum indole propria et fine specifico Instituti congruit.

Consultores aliquam discussionem generalem faciunt circa hunc indicem et decernunt singula puncta quoad substantiam inseri posse in can. 3.

Est Consultor qui proponit hanc formulam:

« Instituta iuris dioecesani committuntur peculiari curae et vigilantiae Ordinarii loci, cui, praeter alia suis locis indicata, competit:

1°, 2°, 3° ... ».

Relator vellet formulam de qua supra ita emendare:

« Cum instituta iuris dioecesani committantur peculiari curae et vigilantiae Ordinarii loci, praeter ea in aliis canonibus suis locis indicata, ipsi competit:

1°, 2°, 3° ... ».

Sed est et alter Consultor qui hanc formulam proponit, quae omnibus placet:

« In regendis institutis iuris dioecesani, utpote suae peculiari curae et vigilantiae concreditis, Ordinario loci, praeter ea quae in aliis canonibus statuantur, competit:

1°, 2°, 3° ... ».

Consultori qui timorem exprimit ne, per hanc formulam, nimiam videatur tribui auctoritatem Ordinario domus principis, respondit Consultor qui supra, affirmans difficultatem eliminari posse per aliquam clausulam in ipso can. 3 vel per novum canonem, quo statuantur iura Ordinarii domus principis et aliorum Ordinariorum.

Conventus 8°

(Die 26 apr. 68 – Mane)

Huic conventui praeest Em.mus Cardinalis Praeses.

Consultores prosequuntur discussionem de canone 3 et disputant de singulis iuribus Ordinariorum, iuxta indicem propositum a Relatore:

« In regendis Institutis ... Ordinario loci ... competit:

1) Constitutiones Instituti approbare ».

Quidam Consultor vellet in n. 1 non tantum constitutiones, sed etiam « normas generales » vel « codices additios » inserere.

Sed Relator et alter Consultor respondent illas alias normas vel codices additios esse frequenter reformabiles. Quapropter convenit ut constitutiones, quae stabiliores sunt, competant Ordinariis; aliae normae vero competant superioribus Instituti.

Suffragatur an placeat n. 1:

Omnibus placet.

2) Immutationes in constitutionibus eiusdem Instituti a Capitulo generali propositas approbare, salvis iis in quibus Apostolica Sedes manus iam apposuerit.

N. 2. us omnibus placet.

3) Est Consultor qui proponit ut in n. 3 statuatur haec norma:

« Dispensationes a constitutionibus singulis in casibus et per modum actus dare ».

Propositio omnibus placet.

4) Visitationem instituere in domibus Instituti quae in suo territorio sitae sunt et in sodalibus ibidem assignatis, quod attinet ad observatiam regulae et Constitutionum, atque ad apostolicam sodalium operam.

Omnis Consultores, uno excepto, petunt ut omittantur verba « et in sodalibus ibidem assignatis ».

Fit brevis discussio ad formulam expoliendam quae his verbis tandem probatur:

« Visitationem canonicam instituere in domibus quae in suo territorio sitae sunt, quod attinet ad observatiam Constitutionum atque ad apostolicam sodalium actuositatem ».

5) Praecepta sodalibus eiusdem Instituti imponere in suo territorio assignatis quae regulae et Constitutionibus non adversantur, auditis propriis Superioribus.

Relator monet Consultores ut accurate hanc normam perpendant considerantes multum in doctrina disputari utrum Ordinarii loci potestatem dominativam habeant in religiosos iuris diocesani. Periculum praeterea adest ut Episcopi abutantur hoc iure imponendi praecpta.

Quidam Exc.mus Consultor dicit in formula proposita iam cautiones extare contra abusus Ordinariorum locorum per illa verba « auditis propriis superioribus ».

Est qui dubitat de iure Ordinariorum locorum comminandi praecpta vi voti oboedientiae. Cautio per verba « auditis superioribus » non sufficit, quia saepe saepius praecpta imponuntur ipsis superioribus. Considerandum est praeterea quod sorores generatim praecpta Ordinariorum semper intelligunt *vi voti oboedientiae*.

His de causis, idem Consultor proponit ut detur Ordinariis locorum ius tantum imponendi praecptum vi voti oboedientiae occasione visitationis canonicae, ut sodales veritatem dicant.

Adhuc duo Consultores dubitant de iure Episcoporum imponendi praecpta vi voti oboedientiae.

Omnibus perpensis, Consultores decernunt ut haec norma omittatur; quando autem agetur de visitatione canonica aliqua norma redigenda erit ad sensum propositionis superioris Consultoris.

Deinde ultima norma indicis Relatoris examinatur, quae erit sub n. 5:

« Servata religiosa disciplina et subiectione erga proprios Superiores, sodales in proprio territorio adsignatos in externum apostolatum immittere qui cum indole propria et fine specifico Instituti concurrat ».

Unus ex Exc.mis Consultoribus nollet loqui de sodalibus, quia Episcopus petit a Superioribus, non autem a singulis sodalibus. Sed alii Consultores censem hic agi de sodalibus *generice* et « servata subiectione erga superiores », proinde non adesse rationem verbum « sodales » immutandi.

Est qui negat potestatem Episcopi immittendi religiosos in apostolatum externum, quapropter Em.mus Praeses legit art. 33 §§ 1 et 2 M. P. Ecclesiae Sanctae, ex quo evincitur talem potestatem Episcopis competere.

Consultor quidam proponit ut de hac potestate Episcoporum dicatur in cap. de apostolatu religiosorum, sed Em.mus Praeses putat hanc normam apte in hoc cap. de regimine religiosorum inseri posse.

Tunc Consultor qui supra hanc formulam proponit:

« Servata religiosa disciplina et de consensu competentis superioris religiosi, sodales domorum proprii territorii in externa apostolatus opera immittere, quae cum indole propria et fine specifico Instituti congruant ».

Formula omnibus placet, excepto uno, qui nollet verba « de consensu competentis superioris religiosi ».

Conventus 9º

(Die 26 apr. 68 – Vespere)

Relator praebet indicem facultatum quas ius vigens tribuit Ordinario loci in Instituta et sodales iuris dioecesani, ut Consultores ex illis seligant quas ipsis placuerint ut in canone 3 adiungantur.

En index Relatoris:

- a) Praesidere per se vel per alium electioni Antistitiae generalis atque peractam electionem confirmare vel rescindere pro conscientiae officio (cfr. can. 506, § 4);
- b) Praevium consensum concedere Antistitiae pro collocatione cuiusvis pecuniae (cfr. can. 533, § 1, 1);
- c) Concedere consensum scriptum, si de sororibus agatur, alienandi res pretiosas aliave bona quorum valor summam a Conferentia Episcoporum determinatam non superat vel contrahendi debita et obligationes infra eam summam (cfr. can. 534, § 1);
- d) Cognoscere de rationibus oeconomicis domus religiosae huiusmodi instituti (cfr. can. 535, § 3, 1);
- e) Petere rationem administrationis bonorum quae dotem constituant occasione visitationis vel etiam saepius si necessarium duxerit (cfr. can. 535, § 2);
- f) Veniam dare ut dos praescripta a Constitutionibus condonetur ex toto vel ex parte (cfr. can. 548, § 4);
- g) Diligenter et gratuito explorare voluntatem adspirantis in institutis mulierum, saltem triginta diebus ante novitiatum vel professionem, num ea coacta seductave sit, an sciat quid agat (cfr. can. 552, § 2);
- h) Concedere religiosis licentiam stipem quaeritandi intra fines suae dioecesis (cfr. can. 622, § 2);
- i) Concedere religiosis indultum manendi extra claustra, excommunicationis et saecularizationis (cfr. can. 638);
- j) Dimittere religiosos ex instituto qui vota temporaria nuncuparunt quique commorantur in domo in eius territorio sita, certioribus factis Moderatoribus iisque non dissentientibus (cfr. can. 647, § 1);

k) Dimittere religiosos Instituti clericalis, in domo intra fines dioecesis commorantes, qui vota perpetua nuncuparunt post delationem a Supremo Moderatore Instituti (cfr. can. 649; 650, § 2, 1);

l) Item dimittere religiosos Institutorum laicalium sive virorum sive mulierum qui vota perpetua nuncuparunt, sicut in casu praecedenti (cfr. can. 649; 650, § 2, 1);

m) Expendere causas dimissionis religiosorum, sive a votis temporariis sive a votis perpetuis necnon decretum dimissionis ferre (cfr. can. 652, § 1).

Consultores talem indicem perpendunt sed nullam aliam facultatem seligunt in can. 3 apponendam.

Est Consultor qui proponit ut examinetur casus piae unionis, in pluribus dioecesibus diffusae, quae convertitur in Institutum religiosum, cum consequentibus mutationibus constitutionum. Cui competit tales immutationes constitutionum approbare?

Consultores censem talem casum non esse quid tertium, quia ut pia unio regitur legibus de associationibus laicorum, quando vero convertitur in Institutum religiosum regitur legibus de religiosis.

Relator proponit formulam can. 4 de immutationibus constitutionum Institutorum quae ad plures dioeceses propagata sunt:

« Cum Institutum religiosum iuris dioecesani ad alias dioeceses, praeter illam in qua erectum est, propagatum fuerit, nihil de ipsis constitutionibus mutari liceat, nisi immutationes propositae fuerint a capitulo generali Instituti et ab Ordinario loci domus principis (domus generalitiae) approbatae ad normam canonis 3, n. 2, consultis singulis Ordinariis in quorum dioecesibus Institutum aedes habet ».

Alter Rev.mus Consultor nollet Ordinario domus principis talem facultatem tribuere, quia aliquando domus princeps est unica in illo territorio, dum exstant alii Ordinarii plures aedes in suo territorio habentes.

Alii vero Consultores stant pro Ordinario domus principis.

Tunc Consultor qui supra proponit ut eidem Ordinario domus principis detur facultas dandi dispensationes de quibus in canone praecedenti (can. 3, n. 3).

Propositio omnibus placet, ideoque can. 4 bis verbis his redigitur:

Cum Institutum religiosum iuris dioecesani ad plures dioeceses propagatum fuerit, uni Ordinario domus principis (generalitiae) competit:

1) Approbare immutationes constitutionum, de quibus in can. 3, n. 2, consultis singulis Ordinariis in quorum dioecesis Institutum haedes habet;

2) Dispensationes concedere de quibus in can. 3, n. 3. Deinde Relator proponit can. 5 his verbis:

« Ad transferendam domum principem Instituti religiosi iuris dioecesani ab una dioecesi ad aliam, Supremus Moderator indiget consensum Ordinarii loci a quo translatio fit quam illius ad quem domus princeps transfertur.

Formula omnibus placet.

In fine quidam Consultor proponit ut item uni tantum Ordinario competit visitationem canonicam peragere quando Institutum ad plures dioeceses propagatum fuerit, ita ut unitas regiminis praeservetur.

Sed alter Consultor recolit quod iam in can. 3, n. 4 statutum est: Visitationem Ordinario loci competere in suo territorio. Ad summum, dicit ipse, posset S. Sedes, decimo quoque anno, visitationem peragere.

Relator proponit ut visitatio canonica competit Conferentiae Episcopali, si Institutum diffusum sit in territorio unius Conferentiae, competit vero S. Sedi si Institutum diffusum sit in territorio plurium Conferentiarum.

Cum tempus deficiat, finis Sessionis imponitur et de hac ultima quaestione Consultores formulam canonis proponent quae in proxima Sessione examinanda erit.

CANONES

Can. 1

§ 1. Instituta religiosa,

— utpote constituta in Ecclesia ad aedificationem et incrementum pressius suo modo fovendo totius mystici Corporis Christi,

Vel

— utpote ad Dei Ecclesiaeque servitium speciali titulo dicata, Supremae Auctoritati (Ecclesiae) peculiari ratione subduntur;

§ 2. Singuli autem religiosi eidem Auctoritati etiam vi voti oboe-dientiae parere tenentur.

Can. 2

Religiosi auctoritati etiam Episcoporum eorumque Conciliorum atque Conferentiarum ad normam iuris subduntur.

Can. 3

In regendis institutis iuris dioecesani, utpote suae peculiari curae et vigilantiae concreditis, Ordinario loci, praeter ea quae in aliis canonibus statuuntur, competit:

- 1) Constitutiones Instituti approbare;
- 2) Immutationes in constitutionibus eiusdem Instituti a Capitulo generali propositas approbare, salvis iis in quibus Apostolica Sedes manus iam apposuerit;
- 3) Dispensationes a constitutionibus singulis in casibus et per modum actus dare;
- 4) Visitationem canonicam instituere in domibus quae in suo territorio sitae sunt, quod attinet ad observantiam Constitutionum atque ad apostolicam sodalium actuositatem;
- 5) Servata religiosa disciplina et de consensu competentis superioris religiosi, sodales domorum proprii territorii in externa apostolatus opera immittere, quae cum indole propria et fine specifico Instituti congruant.

Can. 4

Cum Institutum religiosum iuris dioecesani ad plures dioeceses propagatum fuerit, uni Ordinario domus principis (generalitiae) competit:

- 1) approbare immutationes constitutionum, de quibus in canone 3, n. 2, consultis singulis Ordinariis in quorum dioecesibus Institutum aedes habet;
- 2) Dispensationes concedere de quibus in canone 3, n. 3.

Can. 5

Ad transferendam domum principem Instituti religiosi iuris dioecesani ab una dioecesi ad aliam, Supremus Moderator indiget consensum Ordinarii loci, a quo translatio fit, quam illius loci ad quem dominus princeps transfertur.

Sac. FRANCISCUS VOTO, *Actuarius*

